

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0854

0852

0858

0848

0863

0843

0903

0803

0953

0753

0353

Ende

Anfang

Igitur dominus Balduinus rex quibusdam negotiis arduis  
requirentibus descendit a Jerusalem in Antiochiam, in qua  
existens in gravem incidit infirmitatem; qui mortem sibi sen-  
tiens imminere periculumque Berytum se deportari fecit. Ibi  
existens regni sui praelatos, sicut et principes, ad se evocari  
fecit, quibus in provincia sua constitutis fidem suam pie ac  
religiose articulatim aperiens, pontificibus peccata cum multa  
contritione confitens, aerumnis solitus ergastulo animam coelis  
intulit anno Domini MCLXVI. die 21. Februarii. Ejus corpus  
transportatum in Jerusalem et inter suos praedecessores in  
ecclesia dominici sepulchri sepultum est. Dicitur autem, quod  
in quadam medicina sibi venenum fuerit propinatum, quia re-  
siduum, quod regi sumere mandatum fuerat, pane infuso  
cuidam catello traditum statim mortua est. Tantam autem  
tristitiam in nullo regno pro morte alicujus principis exstisset,  
nulla historia tradit. Fertur nihilominus, et hostes fidei de  
morte ejus doluisse, ita, ut quibusdam suggestoribus Noradino,  
Damascenorum regi, ut, cum christiani duces in multis essent  
occupati, fines nostros ingrederetur, dicitur respondisse: Com-  
patiendum est et humane indulgendum justo eorum dolori  
eo, quod principem amiserunt, qualem reliquus hodie non  
habet orbis.

De sexto rege Jerusalem.

Domino Balduino rege Jerosolymitano defuncto successit  
ei in eadem civitate sancta Latinorum rex VI. Almaricus,  
frater defuncti regis, anno Domini MCLXIII., et regnavit XII  
annis in Jerusalem. Fuit autem hic Almaricus vir experien-  
tia saeculari praeditus, prudens admodum et in agendis  
circumspectus, modicae tamen litteraturae, sed ingenii vivaci-  
tate, memoriae beneficio satis commode instructus. Fuit  
etiam, quod negari non potest, pecuniae cupidus, supra  
quam regiam deceret dignitatem, sed in regni necessariis nec  
expensis parcerat nec proprii corporis fatigatione revocabatur.  
Fuitque in rebus bellicis strenuus, nam praecedenti anno regni  
sui Gorgontem Aegyptiorum ducem in proelio edita ingenti  
caede divinitus superavit, quo superato Alexandriam obsedit,  
quam Syracanus, Turcorum praefectus, Soldano per fraudem

